





judicare, ut non judicemini: in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini dicit Dominus. ✠ Dirigatur Domine oratio mea. R. Sic ut incensum in conspectu tuo.

**Oratio.** Deus in te sperantium. ut supra.

**FERIA SECUNDA.**

**Omnia dicuntur ut in Psalterio cum Oratione præcedentis Dominicæ.**

**Oratio.**

**D**eus in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: & quia sine te nihil potest mortalitatis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ, ut in exequendis mandatis tuis: & voluntate

tibi & actione placeamus. Per Dominum.

**FERIA QUINTA**

**Celebratur festum Corporis Christi.**

Si ea die occurrat Festum Duplex, vel Semiduplex, transfertur post Octavam: Si Simplex, nulla fit de eo commemoratio.

Infra Octavam non fit de Festo, nisi fuerit Duplex. Semiduplex trans feruntur post Octavam, de Simplici fit tantum commemoratio.

In die Octava non fit nisi de Nativitate S. Joannis, & de festo SS. Apostolorum Petri & Pauli, vel de alio ex solemnioribus, si occurrant, cum commemoratione Octavæ.



B42

IN. 1390